DE MORBO CHOERADICO DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM...

Giuseppe Carissoli,
Giovambatista Fantonetti

Digitized by Google

DE

MORBO CHOERADICO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. J. B. FANTONETTI

THERAP. SPEC. ET CLINIC. MED. PROF. SUPPL.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

CAPESSENDA

IN CELEBRATISS. I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Julii MDCCCXXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

JOSEPHUS CARISSOLI

CHIRURGIAE DOCTOR

ET ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER

COLONII

IN PROVINCIA BERGOMENSI.

TICINI REGII
Ex Typ. P. Bizzoni
I. R. Universitatis Typograph.



Digitized by Google

Digitized by Google

PATRI . OPTIMO

IN . RE . MEDICA . DOCTO

HOC . QUALECUMQUE . INGENIOLI . SUI . SPECIMEN

OBSERVANTIAE . AMORIS . FIDUCIAE

GRATIQUE . ANIMI . CAUSSA

AUCTOR

D . D . D.

Digitized by Google

64

Digitized by Google



DE

DE MORBO CHOERADICO

IDEST

DE SCROFULA.

Etymon ac primae in morbum notiones.

Glandularum lymphaticarum intumescentia ex speciali universali diathesi progenita ac sustenta *Scrofulae* aut *Choeradis*, aut *Morbi Choeradici* sive *Scrofulosi* nomine designatur. Quae denominatio originem trahit a graeco verbo χοιρας, idest scrofa, siquidem animal hoc tali morbo obnoxium dicitur.

Morbus Choeradicus frequens in praxi malo fato occurrit: quamobrem et plurimi valentesque medici ei studuere, quos inter Baumes et Hufeland non paucas laudes adepti sunt. Nihilosecius, quanquam tantis doctisque scriptis scientia abun-

Digitized by Google

det, de hujusce morbi natura ac caussa proxima nondum certiores sumus.

Ex humorum alteratione, ex lymphae acritate nonnulli scrofulas repetunt. Nec humoralem theoricam penitus destituit Hildenbrandius, dum, lympham quantitate excedentem qualitateque peccantem nimis aestimans, scrofularum essentiam in alterato readsimilationis processu conspexit. Alii econtra in solidis substratum morbosum retinent, et systema lymphaticum laesum, obstructum speciatim vel debilitate affectum autumant. Oppositam Broussais tuetur sententiam, aperteque nisi textus lymphatici subinflammationem esse choerades declarat. Hufeland, Baumes sequens, recriminat profundam systematis lymphatici atoniam, debilitatem, specificam ipsius systematis irritationem simul exstante.

Sed haec humorum alteratio, haec lymphae acritas, haec lymphaticorum obstructio et debilitas, quomodo demonstrantur? Omnia phaenomena morbosa in praxi occurrentia rite explicant? Minime sane! et pathologi ad propriam defendendam thesim ni verbis hypothesibusque fulciuntur. Theoriae humoristicae sectatores lymphae alteratae physicos chemicosque characteres, e quibus ejus vitium dignoscatur, indicarunt? Hocce vitium primitus adesse, nec a solidorum

Digitized by Google

labe progigni, comprobavere? Nunquam profecto. Broussais, omnes morbos ad irritationem vel ad phlogosin propellere nitens, in tumoribus scrofulosis legittimae inflammationis specificas notas non animadvertit, sed illos potius a semiphlogosi, nempe a subinflammatione oriri, opinatur. Nunc, suam juxta sententiam, si prae ruboris, pulsationum calorisque incrementi defectu illa in morbosa glandularum lymphaticarum conditione subinflammatio tantum existere quit, cur omnibus aliis in pari statu se praebentibus intumescentiis cogitatum applicari non licebit? Cur nam inflammatio scrofulosa, quae omnis instar alius phlogosis violenter interdum incedit omniaque postluma tangit, dumtaxat subinflammationis nomine aeque insignenda? Haec est absurditas, maximae confusionis procreatrix. Insuper Gallicus Reformator nisi minus apto nomine a communioribus antiquorum secessit ideis, cum ultimo intuitu subinflammatio sua phlogosi speciali, ideo scrofulosae, peculiari morbosa conditione modificatae, penitus respondet.

Hildenbrandi si consideremus sententiam, lymphae tantummodo alterationem conspexisse, haurimus, quasi seorsim absque solidorum influxu sistere possit, dum habitus ipse, scrofulosus dictus, cito nos suadet de solidorum primigena

Digitized by Google

68

alteratione. Expressio porro laesae readsimilationis nimis generica est, morbique sat claram non praebet ideam. Aliunde talis laesio per se nequaquam fieri potest, sed abnormalitatem prius in functionibus depositur, quae vero abnormalitas, illaesis solidis, ammitti nequit. Morbi effectum itaque, nequaquam caussam proximam, Professor noster in laesa readsimilatione porrigit.

Nec felicior hoc in perdifficile negotio fuit ipse Hufelandius. Uno enim tempore quomodo in lymphatico systemate atonia, debilitas et specifica irritatio convivere possunt? Atonia, debilitas atque irritatio ideae sunt, quae vicissim excipiuntur. Ipso igitur in substrato hae duae penitus oppositae conditiones vigere nequeunt; unde Hufelandii principium sine alia observatione labitur.

Hanc in tenebrosam provinciam recte incedere difficillimum quidem fit. Nos autem, si in magno non versamur errore, ut in tanto labyrintho quoddam Ariannae salutare inveniamus filum, scrofularum phaenomenis, tam vita perdurante quam in cadaveribus extantibus; caussis occasionalibus, quibus progignuntur; tandem nexui istas inter et illa sollicite studendum, autumamus.

Digitized by Google

Morbi Hypotiposis.

Scrofulae, testantibus viris in re praeclarissimis, tam multifaria induunt schemata, ut non raro sit scalebrosum cognitu. Attamen cum omnium phaenomenorum ad ipsas spectantium nonnulla colligi possunt, de iisdem quoque judicare licet. Haec interim phaenomena in tres partiuntur classes: aliqua enim ad generalem organicam mixtionem compaginemque, quodam de modo abnormem, pertinent; alia ad vasa lymphatica eorumque functiones laesas; caetera ad ipsam organicam texturam materialiter ac visibiliter alteratam.

Illorum autem syndromen, quae a peculiari organicae mixtionis ac structurae abnormalitate prosiliunt, merito *diatheseos scrofulosae* nomen obtinuit. Quodque syndromen faciunt:

Caput, retrorsum praecipue, habita ratione ad alteras corporis partes, potius magnum; capilli plus minusve flavi; frons quasi turgida; facies tumidula, cuti molle, laxa, pastacea; albicanti, leniter rosea obtecta; oculi persaepe cineracei aut cyanei, ampla donati pupilla; nasus frequenter vix tumidus, rubescens, lucidus cum naribus prolatis; labium superius constanter vel periodice

Digitized by Google

crassum, tumidum et prominens quasi proboscidis adinstar; collum breve, sed plenum; totum corpus sat bene nutritum, propinquius vero examinatum carnes laxas mollesque, cuti alba ac tenera tectas praebet; abdomen cum intumescentia, levissima caussa adaugenda. Quibus porro sequentia accedunt:

Incrementi legibus ex toto perturbatis, nonnullae partes dum rapide evolvuntur, aliae e contra quam maxime patiuntur ac detinentur; sic dentium apparitio moratur; ossa, musculi cursui, loquelae difficulter lenteque vel absque lege inserviunt. Animi facultates opposite, sicuti ac organorum genitalium vires praecoces observantur, ita ut spiritus activior et magna proclivitas affectibus Venerique pueris scrofulosis communiores sint. In foeminis autem menstrua persaepe continentur vel irregulariter effluunt. Frequens est epistaxis; coryza plus minusve viget; nec tussis, sic dicta mucosa, pectoris oppressione spirituque murmuranti comitata, raro desideratur; quod ex membranae mucosae bronchiorum pulmonumque irritatione procedit.

Pustulae vel vesiculae, quoad formam sat variae et in ulcera denudata vel in crustas desinentes, sponte saepe saepius artuum abdominalium internam plagam axillarumque cavum defoedant; oedema frequentius vultum, brachia, scro-

Digitized by Google

tum, crura corripit; molestae sensationes in artubus lymphaticorum secundum decursum, periodice recurrentes, interdum una cum visibili sed inconstanti intumescentia; patens ad ventriculi aciditates praedispositio; maxima irregularitas in appetitu alvique dejectionibus; sordes in ventriculo pituitosae; sordes intestinales vermesque; gas frequens in intestinis evolutio, ex qua abdominis tympanitica tensio, borborygmi, spasmi et colicae non raro.

Tantum morbosorum phaenomenorum numerum habito scrofuloso concomitante, nullum de diathesi choeradica remanet dubium. Quam vero diathesim ab universae mixtionis organicae speciali indole prosilire, Buffalini sententiae libenter accedimus. Annosa enim experientia evidenter, a parentibus in natos generationis ope istam transmitti, patefecit. Ulterius integra corporis massa patitur; et quemadmodum diathesis rachitica infantes corripere solet primis mensibus, ita scrofulosa ad tertium circiter annum incedit, et usque ad septimum perdurat atque evolvitur: aliis aetatibus rarissime observatur, nisi sit primae diatheseos residuum. Immo physiologicis sub vitae vicissitudinibus organismus scrofulosus peculiariter aliquoties suam mutat conditionem, et normalem induit.

Digitized by Google

Habitus et diathesis scrofulosa nisi praedispositionem in morbum choeradicum ponunt. Hufeland nihilominus in ipsis primum morbi gradum respicit; id quod diatheseos respectu verum est, quum jam in propatulum veniant nonnulla phaenomena morbosa. Sed haec ipsa diathesis multas refert gradationes, unde organicae abnormalitates, vel levissimae a solis naturalibus conatibus devincuntur, vel majores, quanquam sub oculos interdum non cadant, efficacioribus artis naturaeque momentis minime reparantur.

Progrediente morbo, nobilioribusque organis vividius captis, et graviora symptomata insurgunt. Glandulae lymphaticae, praesertim colli, axillarum, inguinum magis tument; pustulae aut vesiculae cito in crustas vel in exulcerationes mali moris abeuntes, in capite libentius, erumpunt. Nec immunia evadunt organa interna, et prae aliis quae copiosiore glandularum numero donantur. Abdomen intumescens ubi tactu vel plessimetro sollicite examinetur, glandulae mesenterii obstructae plane dignoscuntur: quapropter digestionis apparatus labefactatur, succi gastrici acidiores fiunt. Tussis pituitosa plerumque adsociatur; respiratio impedita, brevis, anxia. Percussione thorax tentatus normalem bombum minime

Digitized by Google

respondet; et stethoscopii ope, aerem non omnes bronchiorum pulmonumve vias ingredi, ipsasque muco obsidi, facile evincimur. Quod extra aleam dubitationis ponit; obstructos punctos, tubercula nempe adesse, quibus respirationis organorum irritatio provocatur ac substinetur. Nec tantum malorum catervae febris deficit, quam imo Hufeland in pueris, nil praeter scrofulosam diathesim offerentibus, saepissime observavit. Ulla absque regula decurrit; et dum aliquoties nisi accessu aliquo, longa subsecuta intermissione, adparet; alias per hebdomadas, etsi moderate, persistit. Calor est vel pene nullus vel exiguus, paullatim vero adaugendus: frigus eminet. Ex quibus omnibus ac praesertim e symptomatum evolutione sponte fluit, febrim hanc tam lentam et irregularem nisi internae organismi labis expressionem esse, neque illorum assentiendum cogitatis, qui a febri, metastasis caussa, scrofulas deducunt.

En punctum, quo scrofula propriis reapse symptomatibus sub sensus cadit: vires vitales labentes, organismus evidenter alteratus, functiones perturbatae nunc revera animadvertuntur.

Symptoma primum communiusque glandularum lymphaticarum intumescentia sistit. In primis

Digitized by Google

glandulae parvae, mobiles, elasticae, indolentes, colorem cutis non alterantes prae aliis in colli regione, serius interdumque ocius in axillarum cavo, inde ad inguina, quandoque toto in corpore conspiciuntur. Gradatim volumine et consistentia increscunt, obque partes vicinas quidem obstructas mobilitatem amittunt. Quod in caussa est, ut saepe multae propinquiores glandulae vicissim confundantur, permagnum tumorem vel catenam referentes: isto in casu *scrofulae concatenatae* vocantur. Dein ipsi tumores specialem atque propriam elasticitatem adquirentes multum temporis annosque eodem in statu consumere possunt. Secus, quod frequentius accidit, ea ratione, qua morbus senescit, magis indurescunt, immobiliores fiunt; mox frigidi permanent, nulloque vexantur dolore, mox verum citius seriusve cutis externa rubescit, calor augetur, dolor excitatur, donec lenta, sed pervicax totius glandulae vel tumoris iflammatio suppurationis posthumum attingit, pus proprium, malae indolis, sat dilutum, acre progignendo. Interdum in skirrhum degenerant, osseam duritiem aemulant vel reapse osseam adipiscuntur naturam. Alias sic increscunt, ut pondus librarum decem et ultra aequiparent: tunc facile in tumores steatomatosos vel encysticos transeunt.

Digitized by Google

Ex hucusque relatis circa tumorum sedem scrofula distingui potest in *externam* et *internam*: prima est quae occurrit in partibus corporis externis, uti in collo, axillis, inguinibus, quin bursis mucosis vel sero mucosis ac universo corpori interdum parcat; interna consistit itidem in tumoribus, qui tamen glandulas lymphaticas plexusque internos capiunt, uti illi mesenterii, pulmonum, non raro hepatis, lienis ipsiusque cerebri. Quoad volumen illud pisi vel nucis hae gangliares intumescentiae non superant: a nonnullis tuberculorum nomine insigniuntur, phthiseosque scrofulosae in caussa habentur.

Phaenomena morbosa variant pro loco, cui glandulae haerent. Circa pharingem insidentes deglutitionem impediunt; asthmatis insultus, si in larynge ac in asperarteria evolvantur; humorum nutrientium curriculum atque opificium impediunt, si in mesenterio, tabemque meseraicam inducunt; et sic porro. Qua de re diarrhoeam, alvi segnitiem, claudicationem quomodo gignere valeant, statim concipitur. In nobilioribus visceribus eorum functiones laedunt, atrophiamque demum afferunt; in suppurationem ipsis abeuntibus, omnia phthiseos phaenomena minime morantur.

Post glandulares intumescentias recensendae veniunt cutis, in capite speciatim, eruptiones

Digitized by Google

multifariae. Rarissime pueri scrofulosi mundum habent caput; sed ut plurimum parvis ulceribus humidis, pustulisque lenticularibus, humorem plus minusve graveolentem emittentibus, interdum vera tinea operitur. Huc illuc universa in cuti maculae aut eczema videntur. Hufeland psorae speciei exempla nequaquam desiderari asserit, quae autem psora ob continuam reproductionem in veram scabiem convertitur. Quod factum hucusque peranceps remanet, sicuti suspicio non levis est de habita criseos specie istis in cutaneis aberrationibus, aegrotantis organismi valentissimis emunctoriis.

Inflammatio porro alias externas partes, glandulis instructas, quoque comprehendit; cumque meibomianas aggrediatur, specialis ophtalmiae modus, scrofularum patognomonicus occurrit. Humor viscosus vel sic acris et irritans oculis effluitur, ut palpebrae, speciatim noctu, insimul conglutinentur, atque saepe cum partibus vicinis inflammentur et facillime exulcerentur, quin ipsa cornea se incolumem praestet.

Membranis mucosis irritatis vel inflammatis, earum secretio adaugetur atque alteratur, unde profluvia ex auribus, bronchiis, vagina, etc. Ob spissiorem et exuberantem lympham in textus cellularis areolis coacervationes fiunt, quae ori-

Digitized by Google

ginem praebent tumoribus elasticis, frigidis, inaequalem schemam et crassitiem vestientibus, in praxi sub *Lymphaticorum* nomine notis.

Praeter glandularum suppurationes et exulcerationes superius notatas, dantur aliae, quae sponte sub peculiari phlogosi cutanea adaperiuntur, sordidae, semper malae indolis, pus clarum, aqueum magisque irritans transmittentes, atque morbo progrediente in skirrhum et cancrum libentius abeunt.

Articulationum glandulae incrassatae ac phlogosi correptae majorem lymphae quantitatem, acredine peccantem, emittunt; et sic partim ob irritativam lymphae ipsius indolem, partim ob phlogosis irradiationem et partes vicinae, sive bursae serosae atque textus cellularis, incenduntur; major laticis serosi quantitas secernitur, quin resorbeatur: quae et lymphae normale curriculum impeditum sunt in caussa *tumorum alborum, luxationum spontanearum, hydrartuum.* Ossibus ipsis inflammatio scrofulosa non parcit, cariesque non raro vel multiformes aliae alterationes, rachitis autem prae omnibus, subsequuntur. Nec denique nervosum systema in tantis universi organismi mutationibus incolume sese tuetur, multae enim affectiones varia sub forma aegrum scrofulosum divexant.

Digitized by Google

Morbi scrofulosi anatomiae pathologicae nondum medici rite studuere. Salmade quadam amplitudine harum organicarum alterationum deprompsit syndromen, quod, etsi multum in votis quoque relinquat, hic tamen recenseri dignum nobis videtur. » Communiter, ipse scripsit (1), inter » meninges, cerebri circumvolutiones ac anfra» ctus humoris lymphatici aliqua reperitur coacer» vatio. Cerebri substantia magis stipata et solida » videtur; ventriculi ampliati, ipsiusque lympha» tici laticis majorem minoremque colluviem re» tinent. Plexus choroideus obturatus, hydatibus » scatens; membranaque, interne lateralia ventri» cula obvestiens, pene semper gelatinosa materie » illinita est. Membranae mediastina efficientes » discissu difficiliores, spissiorem textum cellula» rem, et substantia ceu sevo solido repletum » habent. Thymus persaepe albicantes continet » concretiones. In thorace stat serosus effusus latex. » Pulmones et pleurae frequentes inter se adhae» rent; haeque non raro pseudo-membranis haud » carent. Tubercula majora minorave, dura, skir» rhosa, carnis instar, aut mollia et suppurata » extant in pulmonari substantia, et pus, quod » effundunt, subalbidum granosumque est. Glan-

(1) Dictioun. Abregé des sciénc. Médic. T. 27. pag. 502.

Digitized by Google

» dulae in bronchiorum divisionibus sitae inque
» pulmones progredientes interdum durae et skir-
» rhosae, interdum terream et subalbidam reti-
» nentes materiem se exhibent. Thoracis, peri-
» cardii, oesophagi etc. glandulae omnes tumidae,
» obstructae, tuberculosae reperiuntur. Pericar-
» dium normali majus humoris quantitate subflavo
» tincti colore inundatur. Cor pallidum ac flacci-
» dum, voluminis normalis imminutionem prae-
» bens, uti generatim ac musculi. In epiploon
» persaepe concretiones pinguedinosae, ceram re-
» ferentes, aut hydatides lymphatici repletae hu-
» moris resident. Oesophagus constrictus, saepis-
» sime stomachus labe detentus, membranaeque
» suae digiti spissitudinem aemulant; interdum
» capacitatis respectu duodenum haud superat,
» cultrum utpote callosum corpus retinet, pylo-
» rusque pene ex toto obliteratus videtur. Glan-
» dulae meseraicae, mesocolicae, gastro-epiploicae,
» hepaticae, hypogastricae, illiacae externae ob-
» structiones ovatas magis minusve grandes affe-
» runt; multaeque durae, in series dispositae et
» ad abscessus sat propinquae; gypseam materiem
» aliae dum capiunt, aliaeque carneam aut skir-
» rhosam schemam exhibent. Hepar pene semper
» hypertrophicum, friabile; colorque suus normali
» albidior est. Cystifelea proprio humore fluidis-

Digitized by Google

» simo et coloris viridis perquam clari distenta » sistit. Lien non admodum alteratus; interdum » subalbidas continet materies, lac coagulatum » aemulantes aut cineraceas. Pancreas skirrho pec- » cat, et parvos lapillos calcares concludit. Ductus » thoracicus obstructus, inque eo aliquid cretae » instar degit. Uterus aliquando ita arctus, ut » pisum tantum in se recipiat. Haud raro skir- » rhosa ovaria extant et magnopere grandia sunt. » Pinguedo renes circumambiens ad lardum si- » militudine accedit. Alia viscera generatim ab- » normalis nil demonstrant. Capitis, colli, axilla- » rum, inguinum, poplitisque glandulae longe a » normali structura secedunt. » Adjungatur, sanguinem fibrina et haematozina seu principio coloranti deficere.

Aetiologia.

Pueri magis morbo scrofuloso obnoxii sunt, unde praedispositio non levis in eorum aetate est reponenda. Magis quoque prae maribus foeminae corripiuntur, nec non subjecti sic dicti lymphatici. Dispositio tamen plerumque ab utero fertur. A parentibus enim uno ambobus aetate provectis, rachiticis, venereis oblectamentis infirmatis, vel morbo celtico quassatis, prolem scro-

Digitized by Google

fulosam facilius oriri haud dubia practicorum est observatio.

Artificiosa lactatio pravique cibi inter morbi scrofulosi disponentes caussas relegantur; sicque res currit omnes quoad epulas, necessaria azoti copia deficientes, quoniam ex istis dum non optima chylificatio et sanguificatio adducitur, reparatio et mixtio organica aliquo de modo a norma quoque deflectit.

Aer et atmosphaerica pressio non sane ullo in scrofularum productione carent influxu. Etenim aerem humidum lucisque defectum ad hunc morbum luculenter organicam compagem praedispositam facere, exempla clariora minime desiderantur, quum endemice imis in locis soleque non bene salutatis dominium teneat.

Quidquid digestionis vires infirmat, vel alterat, debitamque chylificationem perturbat, ac scrofulis favet; ex eo quod solida atque fluida normalem conditionem sortiri nequeunt. Eadem ratione vermes cum scrofula nectuntur; organa enim digestioni dicata irritando et labefactando chylum alterant, atque postea consumunt.

Corporis exercitii defectus dum inertem organicam compagem reddit, humorum quoque cursum principiorumque organismo evehendorum eliminationem adversatur; qua de re illa exoritur

Digitized by Google

conditio in mixtione organica, scrofularum evolutioni per quam adcommodata.

Pessimae nutritioni, aeri nocenti, exercitii defectui si sordes addantur, quibus transpiratio cutanea cohibetur, cutisque irritatur, nullus ad Hufelandii mentem scrofulas effugit puer. Et en reapse miserorum nati quam maxime choerade afflicti.

Nimis calor, excedens frigus normalem organismi rationem infringere possunt; pariter ac animi pathemata nervosum perturbando influxum. Studia immania ingeniique contentiones aetate effoeta, cum stamina cerebralia sat firma nondum sint, nobilissimum organon laedunt, eodemque tempore actio sua, activissimis vegetationis functionibus tunc admodum necessaria, imminuitur: hinc organica mixtio patitur, morboque scrofuloso secunda fit.

Nos hactenus nisi caussas proëgumenas retulimus, nunc ut aliquid de occasionalibus disquiratur, has semper irritante vel stimulante vi pollere, duce experientia, declarare haud dubitamus. Et plurimis auctoribus rem confirmatam invenimus: sic Hamilton et Weber caussae mechanicae; Baumes et Hufeland pravae indolis ac irritantes cibi; phlogoses cutaneae merito a pene omnibus; metastases nec non suppressae crises ab aliis criminantur. Quidquid tandem lymphaticum systema irri-

Digitized by Google

tare valet, et quam maxime frigus humidum cuti admissum, scrofularum evolutioni favere, utilissima est consideratio. Relate vero ad phlogosin cutaneam, ut patentissimo innitamur exemplo, recordari sufficiat, variolam tutoriam, nempe vaccinam, scrofulosae affectionis adparitionem promovere in subjectis praedispositis, adeo ut eruptione vix absoluta glandulares intumescentiae ac imposterum alia scrofulosa symptomata in propatulum veniant; quaeque a vulgo falsae vaccinae adscribuntur.

Nosogenia.

Quum habitus scrofulosus in peculiari dumtaxat nonnullarum partium forma a communiore declinante sistat, caeterum valente adhuc subjecto, patet, nisi ab ipsa organica mixtione repetendum. In quo autem haec abnormalitas posita sit, plane ignoramus. Attamen si organismus a recto tramite flectit, de vitio in solidis ac in fluidis nullum remanet dubium, cum ad ejus instructionem ambo suam symbolam praestent. Observatio porro nos docet, habitum illum in pueris, in foeminis, in lymphatico temperamento praeditis potissimum dominari, quoniam isti et molliori fibra insigniuntur. Accedit huic quod phae-

Digitized by Google

nomena morbosa ad glandulas et vasa lymphatica spectant. Quae omnia in illam inducunt sententiam, morbi substratum systema lymphaticum esse.

Nunc quaenam est conditio essentialis morbi? quoad hanc nonnulla superius nos jam protulimus. Si vero omnia symptomata ad trutinam sedulo revocemus, facile evincimur, primigenium choeradis momentum lenta, subdola irritatione tantum constitui, quod sequitur dein permanifesta inflammatio, in posthuma varia terminanda. Et revera ab initio vix atque vix propriis symptomatibus morbus adparet: glandulae intumescunt, quin fere ullo perceptibile rubore, calore, dolore signentur, lympha quantitative ac qualitative peccante repletae. Minore majoreve temporis spatio transacto (quod quidem maxime variare atque ad annos protrahi interdum solet) phlogotica signa pedetentim in scenam producuntur. Glandulae magis magisque tument, rubent, calent, dolent; nec aliqua febris desideratur; cutis huc illuc defoedatur; tumores ipsi tandem exulcerantur ac suppurationem tangunt. En quomodo omnia haec concipiuntur. Systema lymphaticum magis evolutum, abnormi lympha redundans, propriae mixtionis organicae gratia sensibilius et irritationi sat pronum jam diximus;

Digitized by Google

quo fit, ut potentiarum irritantium et stimulantium, quae semper praesto sunt, actionem vividius persentiat, unde ejus proprietates vitales aliquod incrementum adquirunt, cujus ope major fit humorum affluxus, congestio determinatur. Sub autem nocentis stimuli continuato influxu conditio irritativa semper augetur, donec vera inflammatio adoritur, et prae primis in gangliis lymphaticis, quae multis vasis sanguineis donantur; et sic major intumescentia, rubor, calor, dolor. Quae verum inflammationis symptomata si, ut in aliis organismi partibus, cito non intenduntur, a minori prae illis vasorum sanguineorum nervorumque divitia est repetendum.

Observationi innititur quantitativa ac qualitativa lymphae abnormalitas; quae semper increscit prouti morbus progreditur, quia exilit extatque in partibus inflammatione captis, quia eandem ob caussam libero non gaudet in vasa curriculo, quia (si non admittitur ejus secretio in vasibus glandulisque lymphaticis) exhalationi humoris e phlogistica scatentis conditione continuo immiscetur. Haec igitur lympha in pejus semper ruens, dirius quoque afficit partes, quibus, continetur vel copulatur. Chylus ipse glandulis meseraicis male elaboratur: talique pacto si uno sub intuitu abnormis lympha imperfecto chylo nupta

Digitized by Google

malam parat sanguificationem cum omnibus ejus pessimis effectibus in universo organismo; altera ex parte labes, quae huc illuc insurgunt, vires atque materiam organicam hauriunt, aegerque ad extremum fatum impellitur. Hae verum labes organicae inflammationis gradu, specialibus circumstantiis pravitateque lymphae ipsius valde modificantur; unde et nonnullae in exulcerationibus scrofulosis, in puris qualitate in aliisque phlogoseos exitibus moderationes aspiciuntur.

Quoad humorem lymphaticum aqua, fibrina, albumina, soda hydrochlorata, soda carbonata, calcis phosphate ac magnesiae phosphate constare jam docuit Chevreul. Sed in morbo scrofuloso quantitate qualitateque vitiatur, spissior enim et exuberans potissimum fit. Nil ideo mirum, si glandulae duritiem multifariam referant; si in skirrhum cancrumque degenerent; si pseudomembranae adhaesionesque inter partes efformentur. Quumque istis adjungatur, systema lymphaticum phlogosi ejusque postumis in suis muneribus fractum nec non permulta impedimenta in lymphae cursu, hydropum in morbo scrofuloso evenientium ratio sponte elucescit (1).

(1) **Nota.** Ex dictis concipitur, perquam erronea sit illorum idea, qui e systematis lymphatici atonia atque de-

Digitized by Google

Imposterum chemismo tanta labe quasso, viribusque vitalibus labentibus, quomodo conamen in dissolutionem contineri potest? Omne igitur ultimis in morbi periodis dissiliri videtur. Et ob tantum in liquationem nisum ac putriditatis schema Hufeland in mentem cecidit, nunc scrofulas contagiosas fieri. Nullis tamen factis aut periculis institutis suam fulcit sententiam. Qua de re si Kortum, Ebreard, Lepelletier incassum puris scrofulosi insitionem tentavere, merito scrofulae per se contagiosae minime sunt habendae.

Judicandum remanet, an diathesis scrofulosa semper radices consitas in haereditate serbet, vel interdum adquiri quoque possit. Saepissime ex utero sua feruntur rudimenta; sed quid impedit, quod, vita matris extra gremium extante, potestatibus quamplurimis diversimode agentibus peculiariter organismus afficiatur, ut notae diatheseos scrofulosae propriae exiliant? Hujusce igitur diathesis acquisitio rationi minime obstat.

Ex hucusque prolatis circa morbum choeradicum inferri posse mihi videtur.

I. A solidorum fluidorumque speciali vitio primitus scrofulas adoriri;

bilitate scrofulosas derivant. Labis, qua deprehenditur, gratia systema hoc nequaquam muneribus suis normaliter incumbere potest, unde iners est, non debile.

Digitized by Google

II. Earum substratum peculiarem systema lymphaticum sistere.

III. Irritationis, inde phlogoseos cum omnibus posthumis suis schema induere.

Scrofularum itaque caussam proximam *in peculiari irritatione vel inflammatione systematis lymphatici, comite lympha quantitative ac qualitative vitiata, nos reponimus.*

Terminationes.

Scrofulae haud infrequenter in salutem terminari solent, ubi illa momenta sedulo evitentur; quae earum evolutionem promovent; ubi regimen diaeteticum emendetur; ubi congrua therapia instituatur; ubi tandem laesiones organicae nondum adsint; nec exallases qualescumque, nec indurationes vel degenerationes. Maxima verum ratio; qua scrofula sanatur, est evolutio physiologica, et praecipue transitus in puberam aetatem. Monendum tamen, et morbo devicto nunquam diathesim scrofulosam obliterari; ex quo adversis sub circumstantiis magnum post temporis spatium morbus iterum adparere potest.

Cum vero aetate tenera intenditur vel in infantibus occurrit, qui maxima difficultate remedia sumunt, vel interne devastat, tunc facilius

Digitized by Google

in mortem abit scrofula, sive sit mesenterica sive pulmonalis. Interim et scrofulae externae tabem inducendo, laetales evadunt si cum diathesi hydropica vel scorbutica praesertim consociantur. Frequentius porro in alias affectiones chronicas vertuntur, quae plus minusve sanationem recusant juxta diversa organa labefactata. Dum vitium in pulmonibus sistit, phthisis tubercularis, si in mesenterio atrophia mesenterica contingere solet. Denique cum externe se prodierit scrofula, tunc indurationes, ulcerationes, suppurationes, morbum S. Lazzari pro posthumo eligit. Universim, etsi ulcera sanationem admittant, indelebiles tamen turpesque cicatrices reliquunt. In oculis autem posthuma sunt corneae perforatio, iridis prolapsus, trichiasis, palpebrarum retroversio et relaxatio. Ubi ossa prae aliis systematibus corripit, cariem, spinam ventosam, arthrocacem, anchyloses etc. gignit.

Caeterum scrofula perquam lente decurrit ac difficilius sanatur, praesertim quia directa therapia in illam dirigi nequit, et quia momenta ipsi propitiora vel nullo negotio tolli sinunt, vel, cum eorum conscientiam habemus, jam tales effectus in organismo evenerunt, ut perfecta sanatio impossibilis sit.

Digitized by Google

Si diatheseos scrofulosae factores atque organisationis vitia, e quibus ipsa procedit, internosceremus, directam ac rationalem therapiam quoque instituеremus; sed scientiae nostrae tantum assequi non conceditur, solaeque naturae potentissimae vires, peculiaribus circumstantiis faventibus, hasce organicas abnormales notas extenuare et omnino eripere hactenus valuere. Medicus igitur indirecta therapia hic utitur, dum nisi in potentiarum effectus tractamen dirigat, ipsosque cohibere studeat.

Statuimus in Nosogenia, scrofularum caussam proximam a peculiari irritatione systematis lymphatici vel phlogosi cum omnibus istarum aberrationum sequelis confici: hinc et indicationes patent.

I. Arcere caussas morbificas, sanitas enim impossibilis redditur, illis persistentibus.

II. Irritationem vel phlogosin nec non earum posthuma debite oppugnare.

III. Secundariis morbosis phaenomenis in universo organismo consulere.

IV. Accidentalibus urgentibusque symptomatibus prospicere. Quibus omnibus regimen diaeteticum debitusque adparatus pharmaceuticus satisfaciunt.

Digitized by Google

a). *Regimen diaeteticum.*

Diathesi scrofulosae quum prava ciborum qualitas maxime faveat, ante omnia hisce respiciendum est. Sana mater infantibus secundum praebeat lac; et si nutrix deficit, potius, quam alimentis farinaceis, vaccino, asinino vel caprino lacte ipsi vescantur. Pueri ac adulti solis vegetabilibus substantiis nequaquam alentur; docet enim experientia, hacce diaeta facile scrofulas cieri. Vegetabiles cum animalibus commixti cibi optime praestant. Aqua sit sana, vino non abutatur: Hufeland valdopere commendat levem cerevisiam; Seltz et Fachingen aquas.

Ast donec scrofulosi humidum imumque habitant locum, eorum conditio nisi in pejus ruere potest. Hinc sub aperto, laeto salubrique caelo vivant seque oblectent; cubiculum sit amplum ac ventilatum; motui, gymnasticis exercitiis modice et interpolatim se dicent; summam in omnibus munditiem serbent, quem ad finem lotiones ac balnea frequentius instituant, saepeque lintearias vestes mutent.

b) *Tractamen pharmaceuticum.*

Si pauci sunt morbi, qui tanta pertinacia, uti

Digitized by Google

scrofulae, medicinae conatubus obsistant; minores certe enumerantur, in quos major remediorum et specificorum caterva jactata sit: horum tamen non multa apud Esculapii sagaces sapientesque cultores nunc aliquo fruuntur nomine. Nos vero, ut breviores simus, statim ad rationalem methodum deveniemus; et sicuti factis atque logicae innixi, primum scrofularum momentum, praemissa diathesi, in irritatione ac phlogosi reposuimus, ita ubi hosce inter cancellos morbus detineatur, antiphlogistica conveniunt, quorum activiora in systema lymphaticum seligentur.

Morbus interim tam lente incedit, ut fere nunquam venaesectionibus indigeat. Vigenti potius simplici irritatione et phlogosi, emetica atque purgantia opportune in usum veniunt, quae dum exuberantes vires vitales compescunt, corpore simul evehunt pravum nimiumque lymphaticum humorem. Ipecacuanha et tartarus emeticus huic fini bene respondent. Baumes, Michaelis, Vit et Smith istis auxiliis fere penitus fidunt, eaque ad intervalla repetunt. Quod purgantia spectat, practici praeponunt hydrochloratem ammonii, potassam acetatam, liquorem digestivum Boerhaavi, salem digestivum Sylvii, acetatem ammonii, rhabarbarum, jalapam, aloëm. Maximo cum emolumento

Digitized by Google

largitur oleum ricini; eo magis, cum vermes in intestinis nidulentur.

Ast celebratur in scrofulas vis stibii, nam super systema glandulare quum agat, excedentes reactiones vitales in ipso cohibet, suppressas vires elevat, obstructiones resolvit, secretiones corrigit; summeque proficuum remedium evadit, quamvis ulcera ac impetigines extent. Inter autem stibii praeparata sales, et speciatim sulphur stibiatum aurantiacum, congruentiores habentur. Charmetteton et Pujol magnopere kermetem mineralem opitulari testantur; dum Malovin et Lewis aethiopem antimonialem praeferre non haerent.

Hydrargyri actionem in systema lymphaticum indubiam reddidit experientia: cui observationi innititur ejus usus in morbo scrofuloso, quanquam Girtaner, nisi irritanti vi praeditum et hinc periculosum declaraverit. Hufeland annosa felicique experientia suffultus Girtaneri argumenta rejecit, et ex una alteram excipi facultatem in medium protulit. Alii effectum antiphlogisticum in hydrargyro dignoscerunt; Sprengel huic substitit disquisitioni, et ex sudoribus, salivae alvique profluviis virtutem hanc procedere perhibuit. Ast dynamica potestate, hydrargyrum forsan expers? Haud credendum. Quidquid tamen sit, de suo agendi modo nos minimè latet, mercurii usum

Digitized by Google

maxime convenire ubi processus vegetativus imminuendus ac immutandus est; ubi magna requiritur totius vegetationis revolutio, ut potentia morbifica excernatur; ubique nisus in coagulum praevalet. Hinc in omnibus morbis inflammatoriis, in eorum posthumis, in obstructionibus praestat: quae verum conditiones quum ferè omnes in scrofulis adsint, et mercurius juvare debet, atque juvat. Ipse Hufeland nos admonet, efficacissimum esse in morbis cutaneis, intumescentiis non dolentibus, hydropibus, ophthalmiis, nervosis passionibus, etc.; damnum econtra inferre ubi aegri scorbuto, phlogosi gastro-enterica, haemorrhagiis afflictentur, cum nisus in liquationem dominatur. Omnino igitur a mercurio caveamus ultimis in scrofularum periodis, sub quibus totus organismus ad maximam dissolutionem tendit. Mercurii porro dosis semper viribus subjecti, peculiaribusque idiosyncrasiis nec non morbi gradui adcommodetur. Aliquoties hoc pharmacon felicius externe quam interne adhibetur, chronicisque in morbis praeparationes suas mutare saepe oportet, ut nova producatur impressio. Inter hasce verum, testantibus practicis, mercurius gummosus Plenk magis praestat in subjectis irritabilioribus; aethiops mineralis ac antimonialis in infantibus; mercurius Hahnemanni solubilis

Digitized by Google

utilius dirigitur contra affectiones scrofulosas altis radicibus nitentes, contra intumescentias glandulares cutaneasque eruptiones. Ulterius medici, certioribus factis innixi, cum hydrargyro narcotica insumunt; cujus mixtionis gratia et ipsum hydrargyrum melius certe substinetur; nec tanta facilitate salivatio contingit. Anglici calomelanum opio potissimum nubunt; et revera calomel usatissimum est, uti praestantissimum omnium mercurialium, quodque caute in usum tractum et teneri ferunt infantes, mulieres dilicatulae, quique febribus conflictuntur; id quod de aliis dici nequit. Altero sub adspectu alvum laxat, sordes educit, talique pacto concomitantibus symptomatibus prodest, persaepe enim scrofulosi alvei segnitiei, colluviebus gastro-entericis vermibusque subjiciuntur.

Sequuntur varia praeparata Hyodii, inter quae eminent hydrohyodas potassae ac hydrohyodas potassae hyoduratum. Juxta Manson, Sablarioles, Henning, Brera, Lugol haec praeparata plurimi faciunt in scrofularum cura. Intus et extrinsecus adhibentur; communior tamen formula pro usu interno est potio, quae conficitur hydrhyodatis potassae granis triginta sex in aquae distillatae uncia solutis, bis vel ter de die ad quatuor, decem aut duodecim guttas omni vice por-

Digitized by Google

rigenda cum aquae fontis edulcatae cyatho dimidio. Diebus nostris usurpatur quoque hydrohyodatis potassae hyodurati solutio, Coindet dicta, quae constat hydrohyodatis potassae drachma semis, hyodii purissimi granis decem, aquae distillatae uncia. Datur ad quatuor vel sex guttas bis ter de die. Nonnullis perplacet syrupus hydrohyodatis potassae hyodurati, dum alii ad ipsum hyodium in spiritu vini solutum libentius recurrunt. Externe sub forma unguenti praeparationes hyodii administrantur. Sed cautelae permultae omittendae non sunt in hujusce heroici pharmaci usu; quoniam gravissisima mala facilius oriri solent, uti essent haemorrhagiae, mucosarum membranarum exulceratio, etc.

Et barytem muriaticum in scrofulas experti sunt medici, quin tamen de actione sua consentirent. Hoc respectu Sprengel ait: » barytes » muriaticus, quamvis ex toto amovere scrofu- » las haud potis sit, levat tamen symptomata; » tumores glandularum discutere valet, et exan- » themata polymorpha tollere; quae e morbis » vasorum absorbentium originem petunt. » Ast nemo inficiat, magnopere praestare, ubi irritatio et phlogosis adsint, si has affectiones potenter debellat.

Nuper quoque calcis chloruretum ad devincendas

Digitized by Google

scrofulas tentatum fuit, et quanquam actio sua interna nimis irritans evadat, nihilosecius tumores glandulares sub ejus usu sat imminuunt. Hufeland ad calcis aquae virtutem comprobandam historias scrofulosorum eadem sanatorum refert.

Ipsa solventia vegetabilia nostro in morbo laudantur, uti cichoreum, trifolium fibrinum, taraxacon, cardus benedictus, fumaria officinalis, absinthium, gentiana. Guajacum quoque ob proprietatem suam super systema cutaneum lymphaticumque non parvi momenti in scrofulis habitum fuit; naturae enim conamina adjuvat, diaphoresim promovet serbatque, stases abdominales resolvit.

Sed inter omnia auxilia pharmaceutica contra scrofulam insumpta generalior usus pro narcoticis vegetabilibus pugnat: quod rationi perconsonum est, siquidem haec remedia, irritationem et phlogosin compescendo, omnia symptomata, nervosis nequaquam exceptis, removent. Hinc merito laudibus extolluntur cicuta, digitalis purpurea, belladonna, hyosciamus, aconitum, dulcamara, quae varia sub forma interne externeque administrantur. Maximo autem cum emolumento extractum cicutae vel digitalis cum recensitis mineralibus solventibus persaepe adsociatur. Hufeland ex uni-

Digitized by Google

versali balneo, decoctione cicutae validiore facto, mirabiles percepit effectus.

Decoctio glandium quercinarum torrefactarum sub nomine *coffeae quernae* jam multi existimabatur; posterius verum oblivioni tradita fuit, sed immerito, quoniam non omni actione in scrofulas destituitur.

Nec ultimum sane locum in scrofularum cura obtinet sarsaparilla; et aptissima, speciatim ubi morbus ossa divexat, est rubia tinctorum.

Olim jam et cinchona, et martialia, et opium, quoniam stricte atoniae idea cum scrofulis jungebatur, uti remedia absolute necessaria habebantur. Sed talis curandi methodus non amplius cum statutis morbi notionibus congruit, damnosaque potius quam utilis ab ipsa experientia claruit. Nihilosecius in ultimo stadio, quum tantus in liquationem ac universalem disorganisationem nisus praevaleat, tunc multum prodesse queunt non amplius enim tam primaria morbosa phaenomena, quam secundaria, utpote periculosiora, sunt a medico prospicienda.

Tandem symptomatibus externis providere oportet. Remedia hunc ad finem adhibita eodem foro educuntur ac cura interna.

Quum autem phlogosis in suppurationem transiit, abscessusque clausus extat, chirurgiae lege

Digitized by Google

est aperiendus; fungositates lapide infernali vel alio caustico tollendae, topicisque affectionibus emplastra galbani, cicutae, saponacea non inane apponuntur.

In ophtalmia scrofulosa praeter solventia, ac mercurialia praesertim, tam interne quam externe, aqua Gollardi, solutio lapidis divini, laudanum ipsum opportune in usum trahuntur.

Otorrhoeae exortae injectionibus adstringentibus, ex allumine potissimum, consulitur: quae injectiones et vaginae fluxubus prosunt.

Ubi choeradis pulmones capiat phthisim perducendo, praesidiis scrofularum propriis phthiseosque symptomatibus accommodatis tractamen instituatur.

Nos hic cum morbi scrofulosi therapia dissertatiunculae nostrae finem damus, omnia illa specialia ceu specifica pharmaca praetermittentes, de quibus fando et tempus et opus terreretur.

FINIS.

Digitized by Google

THESES

I.

Nullum datur vitale munus, quod ad secretiones non sit referendum vel ipsis saltem conjunctum.

II.

Ex caussa praegressa praesentis effectus, vel ex hoc illius naturam determinare non semper veritati consonum in praxi medica observatur.

III.

Solventem remediorum virtutem ab oxygenii praevalentia repetere rationi atque observationibus non congruit.

IV.

Morbi dijudicatio a solis juvantibus et laedentibus medici artisque insufficientiam declarat.

V.

Systema arteriosum et nervosum, irritabilitas nempe atque sensibilitas opposita ratione inter se extant.

VI.

Receptivitas organismi pro contagiorum actione differt pro vario irritabilitatis gradu.

Digitized by Google

Digitized by Google